



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





~~3. 5. 3.~~

878

08

1821

v.8





**P. OVIDII NASONIS**

**OPERA OMNIA.**

**VOL. VIII.**



**P. OVIDII NASONIS**

**OPERA OMNIA**

33149

**EX EDITIONE BURMANNIANA**

**CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE**

**IN USUM DELPHINI**

**VARIIS LECTIONIBUS**

**NOTIS VARIORUM**

**NOTITIA LITERARIA**

**RECENSU EDITIONUM ET CODICUM**

**ET**

**INDICE LOCUPLETISSIMO**

**ACCURATE RECENSITA.**

---

**VOLUMEN OCTAVUM.**

**T**

**LONDINI:**

**CURANTE ET IMPRENTE A. J. VALPY, A. M.**

**1821.**



878

08

1821

v.8

# NOTITIA LITERARIA

DE

## P. OVIDIO NASONE,

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA A JO. AUG.  
ERNESTI AUCTIONE EDITA, TOM. I. CAP. 15.

---

[EX ED. BIPONT. 1807.]

---

### OVIDII ÆTAS ET VITA.

**P. OVIDIUS NASO**<sup>1</sup> ex Ordine Equestri natus Sulmone in Pelignis a. U. C. 711. Hirtio et Pansa Coss. XIII. Kal. April. Vitam suam ipse describit IV. 10. Tristium. Propter ingenium, miramque versus suavissimos, elegiacos<sup>2</sup> præsertim, effundendi facilitatem.

#### NOTE

<sup>1</sup> Ex hujus Nasonis posteris fuit Nasonius Ambrosius, qui sepulcrum Nasonum in via Flaminia Romæ extrui curavit, si credimus Jo. Petro Belforio in descriptione ejus sepulcri a Petro Sancto Bartholo delineati Tom. XIII. Thesauri Antiq. Roman. p. 1041. M. Actorii Nasonis mentio apud Sueton. Cæsare c. 9. Axli Nasonis apud Carolum Patinum in nummo pag. 44. famil. Rom. Alius Q. Ovidius, ad quem Martialis x. 44. At in versione veteri Josephi initio lib. XII. Antiq. et apud Preeulphum pro Ovidio Sabatæreide legendum Cnidius Agatharchides, ut Meursio in

Bibl. Græc. pag. 1200. observatum. Ovidii vita scripta a Bono Accursio fuit in Bibl. Is. Vossii. Apud Capellam lib. VIII. p. 273. 'Pelignus juvenis,' intelligitur Ovidius.

<sup>2</sup> Ovidius de se lib. I. de Remedio amoris extrem. 'Tantum se nobis elegi debere fatentur, Quantum Virgilio nobile debet opus.' Poëmata illius ipso etiamnum superstite decantari solita observat Salmasius ad Solin. pag. 601. Versus unus Ovidii omnium durissimus, et judice Franc. Vavassore pag. 38. libri de Epigrammate vix excusandus, hic est: 'Vix excusari posse mihi videor.'

tem, de qua vid. D. Heinsium de Tragœd. Const. c. 13. universis gratus et acceptus, soli Imp. Augusto invisus, qui de sollicitata sub Corinnæ nomine lascivis versibus Julia sua suspectum, et alio præterea nomine exosum, Tomos ad læva maris Euxini relegavit,<sup>1</sup> a. ætatis, ut creditur, 51. in eoque decessisse anno 60. qui fuerit Christi decimus septimus. Ita quidem Johannes Masson in vita Ovidii. Ipse de se Poëta Trist. II. 103. 104.

‘Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?’

Cur imprudenti cognita culpa mihi est?

Unde incestum Juliæ cognitum Ovidio causam veram relegationis ejus fuisse conjiciunt Antonius Mancinellus lib. 1. Serm. 14. et Lezeau in Ovidii vita. ‘Getam’ ab illo exilio vocat se ipse IV. 13. e Ponto: ‘Carmina quæ faciam pæne poëta Getes.’ Et lib. I. 1. ‘Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ,’ etc. Adde III. 9. Trist. *Τομετῶν*, Ovidiano exilio celebris civitatis, nummum exhibet Hœschelius ad Photii Bibl. pag. 962. Alios memorat Harduinus in nummis Urbium illustratis. Neque vero ex eo, quod nulli extant Tomitani nummi Augustorum honori percussi ante Trajanum, recte colligas, Tomitanos non paruisse imperio Romano Augusti tempore, cum ablegatum illo ab Augusto Ovidium ipse Poëta non patiatur nos dubitare. Exilium vero ipsum indignius fert Baudius<sup>2</sup> in farragine carminum pag. 631. quam ipse tulit Ovidius. Eo enim judice

#### NOTE

<sup>1</sup> Ovidius Trist. II. 207. ‘Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error; Alterius facti culpa silenda mihi est.’ Idem alibi: ‘Inscia quod crimen viderunt lumina, plector. Peccatumque oculos est habuisse meum.’ Confer Savaronem ad Sidonium Apollinar. lib. II. Epist. 10. pag. 155. et ad carmen 23. p. 186. seq. et Bælii Lexicon in *Ovide* nota B. et K. Dissertation sur l’Exil d’Ovide, par R. D. R. (Riband de Rochefort.) à Moulins 1742. 12. Neue Untersuchung über die Verbannung Ovids; in den vermischten Abhandlungen und Urtheilen über das Neueste aus der Gelehrsamkeit. Tom. I. Berlin 1756. 8. Rutgeri Ouwens noctes Haggas Lib. II. 6. Franeg. 1780. 4. et

Tomum IV. versionis Fastorum Gallicæ 1783-1788. auctore Bayeux.

<sup>2</sup> Ovidius ipse edicti mentionem faciens lib. II. Trist. 137. ‘Quippe relegatus, non exul dicor in illo.’ Relegatis bona non fuisse ademta, sed deportatis et exilibus, notatum Nic. Antonio lib. II. de jure exulium c. 24. Itaque et Ovidius bona sibi relicta memorat. De Tomis vide Petr. Wesselingium notis ad Antonini Itinerarium pag. 227. et C. H. Tzschuckium notis ad Pompon. Melam, Vol. III. P. 11. p. 88. sqq.

<sup>3</sup> Baudio jungendus Gallus scriptor M. Deslandes in libro Parisiis et Amstel. 1715. 12. edito, L’Art de ne point s’ennuyer, cap. 5.

Nulla potest tantam feritatem obvolvere causa,  
 Nullus patricia fictus ab arte color.  
 Seu quod amare doces, summotus ab urbe Quirini es,  
 Sive quod arcanum videris horribile.  
 Nam quod te memorant sobolem temerasse Tyranni,  
 Suspicio in mores non cadit ista tuos.  
 Nec reor: esto tamen, fuerit tibi Julia cordi,  
 Julia tam multis nobilitata prociis, &c.  
 Idcircone Tomos transmitti Romula Siren  
 Debuit, et Latios deseruisse lares?  
 Nec venia dignus fuit inter probra tot, unus,  
 Et vates, et amans, et generosus eques?  
 Aliud visum auctori hexastichi, quod infra ascripsi:  
 Tu qui virgineos temerasti carmine vultus,  
 Deme tuis laurosserta pudica comis.  
 Ista decent castos Heliconia signa Poëtas:  
 Sarmatis herba caput cingat amara tuum.  
 Cedat Pegasidis Ponti mittendus ad undas,  
 Ingenio periit qui malus ipse suo.  
 Quæ de calamo<sup>1</sup> ejus argenteo et sepulcro in Moecia reperto<sup>2</sup> fe-  
 runtur, ea fabulis per me lector ascribet, perinde ut quod nuper  
 scripsit Mironius,<sup>2</sup> relegatum in Calabriam. Vid. Bellorii Descrip-

## NOTÆ

<sup>1</sup> De calamo Ovidii hæc Hercules Ciofanus in Ovidii vita: 'Isabella Pannoniæ Regina circiter annum 1540. Ovidii calamum ex argento Tauruni, quæ est urbs inferioris Pannoniæ, ostendit Petro Angelo Bargæo, qui hoc ipsum mihi narravit, cum hac inscriptione: 'Ovidii Nasonis calamus:' qui non multo ante id tempus sub quibusdam antiquis ruinis fuerat repertus. Eum regina ipsa plurimi faciebat, et veluti rem sacram carum habebat. De eodem calamo Coelius Calcagninus, qui et ipse in Sarmatia fuit, in elegia qua Scytharum mores describit,' &c. Tumulum Poëta, post inventos scilicet Ciceronis de Republ. libros, in media Moecia repertum narrat Isaac. Bul-

lartus in Academia scientiarum et artium Tom. 1. p. 87. in vita Joannis Zamoscii, tumuloque inscriptum carmen: 'Hic situs est vates, quem Divi Cæsaris ira Augusti Latia dedere jussit humo. Sæpe miser voluit patriis occumbere terris, Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.' Idem tetrastichon refert Sim. Starovolsius in monumentis Sarmatarum, Cracov. 1655. fol. p. 304.

<sup>2</sup> Voyage du Levant par M. de Mirone, à Liège 1731. 8. Tom. 1. pag. 127. 'près du rivage de la mer noire du côté de l'Europe, on voit deux vieilles Tours presque ruinées, qu'on appelle les Tours de Léandre. Quelques-uns prétendent qu'elles ont servi de prison à Ovide, quoique



tionem sepulcri Nasonum T. XII. Thes. Ant. Græv. pag. 1038. Jo. Antonius Campanus, Aprutinus Episcopus, libro septimo Carminum pag. 176. edit. Lips. Sulmonem Ovidii patriam ita de hoc cive suo gloriantem inducit :

Sim. licet annorum tot millibus inelyta Sulmo,  
Et Pelignorum gloria prima ferar,  
Nil habui Ovidio majus Nasone poëta,  
Solus is immensas vel mihi præstat opes.  
Ætates abeunt, labuntur regna, sed unus  
Durat et in pretio est posteritatis honos.

Hercules Ciofanus, Sulmonensis, cujus extant eruditæ in Ovidium gentilem suum notæ, descriptionem Sulmonis Vitæ Ovidii præmisit, Aquilæ 1578. 8. Confer Petr. Antonium Corsignanum de viris illustribus Marsorum cap. 2. Ovidii effigies (nisi Vedii Pollionis potius, ut NΑΣΩΝ legerint viri eruditi pro postremis literis nominis ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ) in nummo apud illustrem Spanhemium Diss. I. de usu numismatum p. 54. Tom. I. edit. Londinens. Vid. et pag. 719.

Primam in Ovidii nomine producit Guilelmus Brito : sed antiquiores Poëtæ corripiunt, ut notatum Barthio in notis pag. 73. Ovidii filia Perilla, ipsa quoque a patre edocta carmen componere, qui raras ejus dotes et ingenium celebrat III. 7. Trist. Vitam Ovidii scripsere plures, sed diligentissime et secundum seriem annorum Jo. Massonus Amst. 1708. 8. quam cum Vitæ aliorum Tom. IV. Ovidii sui addidit P. Burmannus.

#### SCRIPTA QUÆ EXTANT.

Extant I. ejus *Heroides*, sive *Epistolæ XXI. elegt versibus*.  
1. *Penelope Ulixi*. 2. *Phyllis Demophoonti*. 3. *Briseis Achilli*.  
4. *Phædra Hippolyto*. 5. *Cenone Paridi*. 6. *Hypsipyle Jasoni*.  
7. *Dido Æneæ*. 8. *Hermione Orestæ*. 9. *Dejanira Herculi*.  
10. *Ariadne Theseo*. 11. *Canace Macareo*. 12. *Medea Jasoni*.  
13. *Laodamia Protesilao*. 14. *Hypermnestra Lynceo*. 15. *Sep- pho Phaoni*.<sup>1</sup> 16. *Paris Helenæ*. 17. *Helena Paridi*. 18. *Lean-*

#### NOTÆ

<sup>1</sup> Histoire assure qu'il fut relégué en Calabre. feminarum, ubi hæc elegia e. variis lectt. exhibetur.

<sup>1</sup> Vide Fulvii Ursini carmina IX.

der Heteroi. 19. Hero Leandro. 20. Acontius Cydippæ. 21. Cydippe Acontio. Hoc scribendi genus<sup>1</sup> tenerum, solers, eruditum, primus invenit Ovidius, atque ut ipse ait III. Artis amatoris vs. 346. 'Ignotum hoc aliis ille notavit opus.'

*Penelopes ad Ulixem*, reliquasque, quarum titulos simili caractere exprimi curavimus, ipse agnoscit, An. II. 18. 21. Ex ceteris quædam forte Epistolæ auctorem habent Aulum Sabinum, quem eodem loco Naso laudat, et sub cuius nomine tres Epistolas habemus, Ovidianis respondentes, et inter Ovidii poemata post ed. Venet. 1485. et Parmensem 1489. sæpius vulgatas: 1. *Ulixis ad Penelopem*.<sup>2</sup> 2. *Demophoontis ad Phyllidem*. 3. *Paridis ad Cænonem*. Non nos fugit, Vossium patrem, in lib. de Poëtis Latinis, eas Sabino indignas judicare: sed malumus sententiæ aliorum virorum doctorum subscribere, quibus genuinæ Sabini videntur; in his Nicolai Heinsii, qui etiam notis illustravit. In duos libros divisas fuisse, tradit Auctor Vitæ, quam e Ms. Farnes. edidit N. Heinsius.

*Heroidarum* Mstum Codicem non contemnendum servat Bibl. Gothana. Extant in eas notæ Jani Parrhasii, Romani, Joan. Scopæ, Aaronis Batalei, Baptistæ Egnatii, Iodoci Badii, ne dicam illorum qui totum Ovidium illustrarunt, ut Gregor. Bersmanni, Jac. Micylli, Herculis Ciofani, &c. Epistolas Heroidum Ovidii exemplo effinxere Latino carmine Eobanus Hessus, Balduinus Cabilavius, Jo. Meursius, et in sacrarum Heroidum libris Claudius Espencæus pag. 991. seqq. Operum. Didonis ad Æneam Epistolæ respondit Nic. Heinsius pag. 211. poematum; Phædræ ad Hippolytum Sidronius S. J. Epistola Ulixis ad Penelopem præter rem pro in-édita venditur in Catalogo Bibl. lectissimæ Sarrazianæ n. 1770. in quarto pag. 175.

II. *Amorum libri* III. memorati Ovidio Art. III. 343.

Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,

Elige, quod docili molliter ore legas.

Hinc patet, falli Hermolaum Barbarum, qui illos libros laudat sub

#### NOTE

<sup>1</sup> Imitati sunt istud Epistolarum Heroidarum genus e recentioribus multi. Recensum eorum vid. ap. Blankenburg in den literarischen Zusätzen zu Sulzers allgemeiner Theorie der schönen Künste, Tom. II.

p. 84. b.-89. a.

<sup>2</sup> Hanc Epistolam e Msto, in quo sine nomine auctoris Ovidianis adjuncta erat, recenset et illustrat Eustachius Swartius Analect. I. 11.

titulo *Corinnae* Ovidii: vel auctorem glossarum veterum, quas æryo Mss. et Jeremiam de Montagnano, qui in *Epitoma Sapientiae Venet.* 1505. 4. edita vocat 'Ovidium sine titulo.' Quinque primum libros Naso illius argumenti scripserat, sed duos sustulit, ut apparet ex hoc epigrammate ipsius præfixo:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,

Tres sumus, hoc illi prætulit auctor opus.

Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas,

At levior demtis pœna duobus erit.

De iisdem videtur intelligendus auctor Vitæ, quam e Codice Farnesiano edidit Nic. Heinsius: 'Scripsit inde Epistolas quasdam ad Tiberii filiam, sub falso nomine ac ficto Corinnæ inscriptas, quæ propter crimen læsæ majestatis combustæ fuerunt. Inde et exilium meruit.' Superstites ceteros jussu Alberti III. Archiducis Austriæ in prosam Germanicam conversos servat Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis. Vide Lambecium lib. II. pag. 985.

III. *Artis Amatoriæ libri totidem*: sic enim vetustissima exemplaria inscribunt hos libros, teste Salmasio de *Usuris* pag. 280. Eos anno ætatis xli. scripsit Ovidius, ob quos exilio damnatum ab Augusto legas apud Aurelium Victorem in vita Augusti, et Freculfum viii. 10. Chronici; atque docet ipse Ovidius *Trist.* III. 14. 6. 'Artibus, artifice quæ nocuere suo.' De iisdem intelligenda, quæ mox, cum scriptis suis reliquis fugam sive exilium dictum negasset, subjungit: 'Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti.' Ab Ovidio titulum mutuati sunt Petr. Jacobus Martellus Bononiensis, qui carmen edidit *Italicum* tribus distinctum cantibus, de arte amandi Deum, 'L'arte d'amar Dio,' Bononiæ 1698. 8. et Thom. Ravasinus, Parmensis, in carmine Latino elegiaco 'de arte amandi S. Mariam Libri II.' Mutinæ 1706. 4. Anglico carmine, 'The Art of Love,' artem amandi, Nasonis imitatione, et castis non indignam auribus, scripsit W. King xiv. libris, Londini editam an. 1714. 8. Gallico Guoge de *Cessieres*, Parisiis 1750. 8. et P. Jos. Bernard. *ibid.* 1780. 8. Germanico, Anonymus, Berolini 1794. 8.

IV. *Remedia amoris, lib. I.* singula genere carminis elegiaco, Codices quidam Mss. et antiquæ editiones, ut Argentinenſis Schureriana 1520. 4. dividunt in libros duos, ita ut secundus incipiat a versu 397. Gallico carmine 'Remèdes contre l'amour' scripsit Franc. Cailhava, Parisiis 1762. 8.

v. *Metamorphoseon* libri xv. carmine heroico: quod opus merito præclarissimum vocat Lactantius, in quo historia fabularis, eleganter nexis inter se partibus omnibus, expressa est; id quod in hoc opere legendo inprimis observari debet. Ipsum huic operi plurimum, et principatum operum suorum tribuisse, patet e conclusione. Ultimam illi manum auctor haud imposuit, ut ipse refert Trist. II. 555. Confer Trist. I. 6. et III. 14. Illos a se scriptos esse testatur ipse Ovidius Trist. I. 1. 117. 'Sunt quoque mutatae ter quinque volumina formæ.' Non facile vero aliquis credat, quod in mentam venit ingeniosissimo viro Roberto Hookio,<sup>2</sup> qui in operibus postumis Lond. 1705. fol. vulgatis Ovidium contendit in Metamorphosi sua sub fabulis illis describendas sibi proposuisse varii generis mutationes, quæ telluri contigerunt, et systema quoddam Historiæ Naturalis tradere voluisse. Non magis ad liquidum perducipotuit, quod Hermannus ab Hardt in raris Ovidii lib. VI. Metamorph. detectis ac demonstratis Helmst. 1711. 8. vetustissimam Græcorum hatoriam in fabulis Nasonis latere, sibi persuasit, licet Græcos potissimum poetas et scriptores metamorphoseon secutam in illis fuisse Nasonem non ait dubium. Græca prosa reddidit Maximus Planudes, sed quæ lucem non asperxit, exceptis paucis locis, quæ ex ea produxit in præclaris notis suis Nic. Heinsius. Ejus mentionem facit et Volaterranus Comment. Urban. XVII. Scripsit præterea in hoc opus commentaria Jac. Pontanus, Antv. 1618. f. tum brevia et apta tironibus scholia Thom. Farnabius, Amstel. 1630. 1639. 1649. in 12. ut Minellii similes notas pueris scriptas omittamus. Excerpta ex Metamorphosis Fastisque Ovidii cum notis Thom. Johnsoni prodire Lond. 1714. Laudanda etiam Pompeii Pasqualini industria, in concinnato indice omnium vocabulorum in Metamorphosis Ovidii, Rom. 1614. 8. Argumenta antiqui Grammatici, Lactantii Placidi nomine, occurrunt in editione Veneta a. 1553. 8. aliisque. Donato tribuuntur in edit. Coloniensi, et Nic. Heinsius testatus est, se in Bibl. Laurentiana vidisse Ms. chartaceum, cujus titulus esset: 'Donati abbreviatio fabularum Ovidii.' Forte referri debet ad Tiberium Donatum, a quo Maronis descriptam habemus. Prodierunt etiam separatim, pri-

## NOTE

<sup>1</sup> Metamorphoseon scriptores Græ- <sup>2</sup> Vide Acta Erud. anno 1707. pag. cos retuli lib. III. Bibl. Græcæ, c. 27. . 155.  
§. ult.



munum Viennæ 1513. 4. edente Joach. Vadiano, sub titulo: Donati, sive, ut alii volunt, Lactantii argumenta compendiaría in Fabulas potiores Ovidianæ Metamorphoseos. Ipse Vadianus nec Donati nec Lactantii esse putabat. In aliis editionibus, ut Lugd. 1510. fol. cum Petri Lavini notis et Raph. Regii, et Basil. 1543. cum ejusdem Regii et Jac. Micylli notis, habentur sub nomine Lactantii Placidi. In antiquis Codicibus Mstis et editione Veneta anni 1486. argumenta libri xv. desiderantur. Joannes itaque Rænerius, uti multa alia addidit, ita libri xv. argumenta supplavit ex Regii commentariis: quo nomine laudatur a Barthio VIII. 17. Advers. quia putabat, Regium sua ex integrioribus Lutatii exemplaribus hausisse. Sed Victor Giselinus et Thom. Munkerus Rænerium reprehendunt, quod aliena Lutatianis admiscuerit. Sed illa argumenta reperiuntur et in editione Parmensi 1480. unde Regius sumsit. Idem Munkerus, collatis Giseliniana, Hervagii, Birkmannorum, Rænerii et Coloniensi editionibus, sed inprimis secutus primæ Venetæ et Florentini Codicis fidem, argumenta librorum xiv. emendavit, notisque illustravit, et librum xv. ex editione Ræneriana addidit in Tomo posteriore Mythographorum Latinorum, Amst. 1681. 8. Extant quoque Bolognini et Nigri Epitomæ Elegiacæ et Quintiani Stomæ disticha, Basil. 1544. 8. et Visiti Mauritiî Piceni Epitome in Ovidii Metamorphoses per singulas fabulas, carmine hexametro et pentametro descripta, Arimin. 1562. 8. Jo. Posthii tetrasticha et Virgilii Solis icones in Metamorphoses, Francof. 1596. 4. Icones a Cypriano Passæo cum epigrammatibus Latinis et Germanicis Antonii Guilielmi Salsmanni, Arnhem. 1507. 4.

Ovidiû Metamorphoses per Hubertum Goltzium quinquaginta duabus tabulis iconum illustratæ, folio oblongo, fuere in Bibl. Menarsiana pag. 52. Imaginibus ære descriptis præter alios illustraverunt etiam Jo. Weichard de Valvasor, additis quavis pagina epigrammatis, Wagenspergi 1580. fol.<sup>1</sup> et Ant. Tempesta Amstelodami, apud Guil. Janssonium. 4. Elegantissime vero omnium Denos in 'Collection originale des tableaux les plus intéressants des Metamorphoses d'Ovide,' Paris. 1768. cui præverant duæ editiones

## NOTÆ

<sup>1</sup> Ejusdem Ovidius Satyricus Ms. vernaculo 'Ehre des Herzogthums pluribus quam clix. iconibus ornatus Crain' Lib. vi. pag. 360. memoratur in præclaro ejus opere

splendide Parisien, altera an. 1655. altera 1783. hoc titulo : *Collection originale des tableaux les plus interessants des Metamorphoses d'Ovide, publiée en 1655. par M. l'Abbé Marolles, imprimée à Paris la même année et pour la première fois sous le titre de Tableaux du Temple de Muses, représentant les vertus et les vices, sur les plus illustres Fables de l'antiquité, peints par Diepenbeek, élève de P. P. Rubens, et présentés au public tels que M. Favereau les a fait exécuter par le Sr. Blacmart, Graveur, &c.* Vid. Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften und freyen Künste Tom. VIII. pag. 161. seqq. Leipzig 1769. 8.

Locum lib. VII. Metamorph. cum Apollonio Rhodio confert Jac. Tollius in gustu Criticarum animadversionum ad Longinum pag. 354. seq. Locus de Phœnicis reparatione ex lib. xv. cum notis G. B. Speltini, extat in hujus poëmatum variorum collectione, edita Erfurti 1501. 4. Fabularum Ovidii expositio tradita in Academia Regiomontana a G. Sabino, Viteb. 1555. 8. 1559. 8. Nic. Triveti, Dominicani, commentarios in Senecam Tragicum, transformationes Ovidii, Boëthium de Consolatione Philosophiæ, Augustinum de civitate Dei, et in Valerium de non ducenda uxore, memorat Jo. Lelandus in Scriptoribus Britannicis pag. 327. Joannem item, Guallensem in fabulas Ovidii pag. 307. Habuit etiam in Ovidii Metamorphoses antiqua scholia Casp. Barthius, quæ editurum se recepit Tom. II. in Statium pag. 654. In memoriis literariis Dombenibus, sive Trevoltinis a. 1705. mense Maio pag. 381. traditur cultissimus Poëta Joannes Commirius S. J. cum Nic. Heinsio emendationes suas in Nasonis Metamorphoses communicasse. 'Fou M. Bigot a dit à des personnes dignes de foi, qu'il avoit communiqué à Nicolaus Heinsius des corrections de ce Perç sur ses Métamorphoses d'Ovide : celles-ci entr' autres dans l'onzième livre des Métamorphoses v. 764. *Alexisheō Granico nata bicorni.* On lisoit dans toutes les éditions : *Alexithoë gracili conata bicorni*.'<sup>a</sup>

Latino sermone soluto orationes Ajacis et Ulixis ex libro XIII. Metamorph. expressit Vitus Amerbachius 1545. 8. ad calcem enarrationis libror. Tristium. Christianas Metamorphoses scripsere :

## NOTE

<sup>a</sup> Plura ad Metamorphoseon libros seq. et in breviori Not. p. 289. coll. pertinentia collegit Harles. in Intro- Supplem. ad eandem P. I. pag. 481. duct. ad Not. lit. Rom. P. II. p. 472. seq.

Latine, Frid. Dedekindus, Smalkaldie 1565. 8. Galliee, Seevole de Sainte Marthe, Paris. 1579. 4. Belgice, Joh. Haselbehius, Amst. 1637. 4.

VI. *Fastorum*<sup>1</sup> libri sex priores, (totidem mensium festa et rationes e commentariis Pontificum repetitas complexi,) qui soli ex duodecim ætatem tulerunt, inscripti Germanico Cæsari, versibus elegis. Commemorat Ovidius ipse Trist. II. 549. atque in exilio a Nasone recensitos notavit Ezech. Spanhemius libro de Usu numismatum pag. 608. Nicolaum quidem Heinsium monuit Jo. Frid. Gronovius, inspectam sibi fuisse in Norico vetustam Nasonis editionem, cui Celtes Protacius, qui primus post renatas literas poësin in Germania instauravit, manu sua ascripisset, reliquos sex fastorum libros servari apud Presbyterum in pago prope Ulmam, principiumque septimi libri in illo Codice tale exaratum fuisse :

Tu quoque mutati causas et nomina mensis,

A tē qui sequitur, maxime Cæsar, habes.

Sed Heinsio videtur Celtes ab aliquo deceptus, qui visum sibi atque inspectum hujuscemodi codicem affirmasset. Nam Lactantius et alii veteres cum multa e Fastis Ovidii proferant in medium, e libris deperditis nihil prorsus producant, ut certum sit, reliquam fastorum partem jam ante multa sæcula intercidiisse. Eos etiam in Bibl. Regis Gallie extare falso scripsit Antonius Constantius de Fano. Atque eos ne intercidiisse quidem, sed nunquam esse scriptos ab Ovidio, Joannes Masson in ejus vita pag. 172. contendit ex his ejus versibus Trist. II. 549.

Sex ego fastorum (scil. menses) scripsi, totidemque libellos ;

Cumque suo finem mense volumen habet.

Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Cæsar,

Et tibi sacratum sors mea rupit (ne scil. abolverem) opus.

Certe nemo veterum est, qui ex posterioribus libris ullum se vidisse testetur, vel verbum ex illis referat. Fallitur Rabanus Maurus lib. v. de Universo cap. 5. Tom. 1. Opp. pag. 99. et

#### NOTÆ

<sup>1</sup> Vignolius Marvillius T. II. Miscell. Hist. et literat. p. 306. 'Les fastes d'Ovide renferment plus d'érudition qu'aucun autre ouvrage de l'antiquité. C'est le chef-d'œuvre de ce Poëte, et une espèce de dévo-

tion Payenne.' Scriptor XIII. sæculi de mirabilibus Romæ, quem edidit Bern. de Montfaucon in Diario Italico cap. XX. pag. 293. appellat 'Martyrologium Ovidii de fastis.'

Vincentius Bellovac. lib. 1. Speculi doctrinalis, qui secuti laiderum lib. vi. cap. 8. Originum, aiunt, Ovidii 'libros fastorum' dici, 'quod de Regibus et Consulibus editi sint.' Ex Bibliotheca Gudianâ cum pars Codicum Mss.<sup>1</sup> per auctionem Hamburgi an. 1706. distraheretur, nactus sum parvum volumen in fol. minori charactere et frequentibus compendiis literarum in membrana exaratum ante annos trecentos, in quo continentur glossulæ super Ovidii Metamorphosis, de Tristibus, Epistolas, libros de Fastis, de Ponto, et super Ovidium sine titulo, hoc est (ut supra monui) Amorum libros, necnon in Statii Thebaïdem et Achilleïdem, Claudianum et Avianum. Glossis in Fastos subjicitur Kalendarium, quale editiones exhibent. Auctor quisquis est glossularum, monet, Ovidium de fastis et nefastis diebus agere, ortus et occasus notare signorum, et Germanicum illius anni summum Pontificem instruere in sacrificiis. Vincentius Gravina libro 1. de ratione Poëtica pag. 101. 'Ovidio se non si fosse lasciato portare dalla pienezza della sua vena, sfuggito avrebbe ogni emenda, siccome la sfugge nei Fasti, ove non manca nulla di purità et di esattezza.' Giselinus habuit Mss. codices Fastorum octo, sed omnes trecentorum annorum ætatem non excedentes: nec in ullo erat versus Ennii a Fabricio e meliori libro restitutus: 'Unus erit, quem tu tolles in cœrula cœli.'

Commentariis exæmptis hos libros illustravit Car. Neapolis,<sup>2</sup> qui Resuttanii in Sicilia principis frater fuit, et anno ætatis 21. illos absolvit, ac post auctorem anno 29. defunctum edidit Erycius Puteanus Antverp. 1689. fol. sub titulo Anaptyxeos ad Fastos Ovidii Nasonis, præmissis antiquis Kalendaris, quæ una cum aliis recensui infra lib. iv. Quod enim in plerisque editionibus Ovidio præfigi solet Kalendarium vetus Romanum, e Nasone ipso et aliis Kalendaris antiquis aliisque monumentis suppleri et emendari desiderat non paucis in locis. Inter scripta Baptistæ Guarini video etiam memorari commentarium in Fastos Ovidii, sed nescio an editum.

Supplementum horum Fastorum sive sex libros posteriores ex

## NOTÆ

<sup>1</sup> Reliqua et major pars asservatur in Bibliotheca Guelf. nis p. 242. Morhofio hic commentarius visus est sapere officinam Erycii

<sup>2</sup> Laudatur ex merito in Sorberia-Puteani.

Delph. et Var. Clas. Ovid.



ingenio addidit<sup>1</sup> Claudius Barthol. Morisotus,<sup>2</sup> Divione 1649. 4. Burgignonum Fastorum Ovidii continuatorem laudat. Marollianus. Ambrosius quoque Novidius Fraccus<sup>3</sup> similiter libros XII. sacrorum fastorum dicavit Paulo III. Pontifici, et vulgavit. Romæ 1547. 4. Denique Hugo Vaillant Ord. Benedicti Mounachus libris. XII. fastorum memoriam sanctorum per totum annum Epigrammatis celebravit, Paris. 1674. Baptiste Mantuani fastorum sacrorum libri XII. quos Ovidii imitatione composuit, sæpius editi sunt, ut Paris. 1513. fol. Argentor. 1520. 4. Mediolan. 1540. Antverp. 1576. 8. Tom. II. Opp. Nicolai Andarti fastos sacros his verbis inter alia laudat Justus Lipsius:

Macte operis laudisque: olim Sulmone Poëtam

Carmine qui æquiparas, materie exsuperas.<sup>4</sup>

VII. *Tristia*<sup>5</sup> sive *Tristium Elegiarum libri v.* Josephus Scaliger, sub Yvonis Villiomari nomine latens, in locos controversos Rob. Titii p. 105. 'Aristoteles, Titii, nunquam scripsit libros *περὶ τῶν ἡθικῶν*, *περὶ τῶν πολιτικῶν*, sed scripsit *ἡθικὰ καὶ πολιτικά*, *ἡθικῶν καὶ πολιτικῶν* libros. Eodem genio duce et Ovidii titulos corruperunt majores nostri. Nam *Tristia*, de tristibus, et *Pontum*, de *Ponto* inscripserunt.' Hanc veram observationem perstrinxit Jacobus Duportus pag. 187. Poëm.

VIII. *Epistolarum Ponticarum*, sive *e Ponto libri IV.* versibus elegis. In hos quoque libros extant collectanea Joannis Weitzii, viri docti et diligentis 8. et commentarii Jac. Pontani S. I. in hos et *Tristium* libros a. 1610. fol. De commentario Barthol. Merulae et Phil. Theodori Verpoortenii notis aliorumque dicetur infra. E

#### NOTE

<sup>1</sup> Nihil in Morisoto poetici spiritus se observasse profitetur Morhof. 1. Polyhist. c. 24. p. 293.

<sup>2</sup> De Morisoti supplemento Jo. Lud. Præschius Satira in Poëtastris: 'aut simili Morisotum reddere facto, Qui fastos Ovidii supplevit dispare versu.' Suorum in librum primum commentariorum meminit Morisotus centuria prima Epistolarum editarum Divione 1656. 4. Epist. 8. et 9.

<sup>3</sup> Hic Fraccus dies hebdomadis a septem sacramentis, menses a duode-

cim Apostolis nuncupat. Conf. Gisb. Voëtium III. Select. pag. 433.

<sup>4</sup> Add. Les Fastes de l'église par Ant. Godeau, et Les Fastes ou les usages de l'année par Ant. Mar. Le Mierre, de quibus vid. Vers. Fastorum Ovidii Gallicam Desaintangii Tom. I. Præf. pag. XIII. seqq.

<sup>5</sup> *Tristia* potius quam *de Tristibus* inscribendos esse hosce libros notaverat jam Jul. Cæsa. Scaliger lib. III. c. 126. sive ult. Poëtices.

duobus Mss. Fabricii emendationes reddidit Giselinus, sive Fabricius ipse.

IX. *Ibis*, sive *Diræ in Ibis*,<sup>1</sup> carmine Elegiaco versuum amplius sexcentorum. Cœlius Rhodiginus XIII. 1. Antiquar. Lection. 'Cæcilius Minutianus Apulius ait, Corvinum [Boëssius et alii malunt *Hygium*] ab Ovidio Ibin appellatam esse ex avis feditate, cui ventrem<sup>2</sup> rostro purgare insitum sit, et hoc ex Callimachi imitatione.' Ovidius ipse vs. 451.

Et quibus exiguo volucris devota libello est,

Corpora projecta quæ sua purgat aqua.

De Callimachi poemate adversus Apollonium Rhodium, ejus titulus erat *Ibis*, et quod pridem intercidit, dixi lib. III. Bibl. Græcæ c. 19. pag. 486. In *Ibin* Ovidii extat vetus interpres,<sup>3</sup> Gyrlado et aliis laudatus, tum Christ. Zarotti, Venet. 1515. f. Carmen ipsum cum Metamorphosi et libris Fastrorum editum extat sine anno et loco in fol. et Venet. 1484. fol. ibid. 1495. cum Domitii Calderini Comm. Eruditus Dionysii Salvagnii Boëssii, Equitis Delphinatis, commentarius prodiiit Lugd. 1633. 4. atque iterum 1661. 8. addito vetere interprete, qui in prioribus edit. desideratur. Is pag. 3. 4. seq. de hujus carminis editionibus et interpretibus videndus est. Veterem interpretem alium ab edito evolvit Cœlius Rhodiginus, atque Turnebus dolet luci non datum lib. IX. 25. Adversar. 'quod et annotatum a veteri interprete fuerat, ejus scrinia alii interpretes compilarant, et scripta etsi mendosa, unde tamen utilis odorari poteramus, suppresserunt.' Fragmenta quædam Grammatici veteris in *Ibin* prodierunt Paris. 1581. typis Dionysii Pratensis, sed integriora scholia illa ex duobus Mss. Codicibus vulgavit Boëssius, ut ante dictum.

#### NOTE

<sup>1</sup> *Ibis* avis Ægyptia κλυστήρα μυη-  
γαμένη, de qua Plutarchus de solertia  
animal. pag. 974. Auctor Isagoges  
Galeno adscriptæ c. 1. T. IV. p. 371.  
et Galenus de venæ sectione contra  
Erasistratum cap. 6. T. X. edit. Paris.  
p. 399. Confer Alciati emblemata 87.  
et Aldrovandi Ornithologiam T. III.  
lib. 20. c. 3. p. 129.

<sup>2</sup> Auctor Isagoges Galeno adscrip-  
tæ c. 1. et Plinius VIII. 27. Hist. no-

tant, inde hanc avem ad clysteris  
usum inveniendum hominibus ansam  
præbuisse. Effigiem ejus habes in  
Thesaurò Græviano Antiquit. Rom.  
Tom. v. p. 796.

<sup>3</sup> Labbens Bibl. nova Mas. p. 46.  
memorat Bernardi Moretti, qui Rhe-  
toricam Bononiæ docuit sub a. 1459.  
expositionem in Poëma Ovidii adver-  
sus Ibin.

X. *Halienticon*, sive de piscibus liber accephalos, versibus hexametris. Hujus poematis mentio ap. Plin. XXX. 11. 'His adjiciemus ab Ovidio posita nomina, quae apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit.' Idem cap. 2. 'Mibi videntur mira, quae Ovidius prodit piscium ingenia in eo volumine, quod Halienticon inscribitur.' Illustravit hoc fragmentum Hercules Ciofani a. 1580. v. et Swartii Analecta I. 5. Extat quoque in Poëmatis antiquis P. Pithoi. Vide et Vossii IV. 6. et 14. operis præclari de Idololatria, ubi locis quibusdam Halienticon lacem affert. Fallitur Barthius, qui Olympio Nemesiano hoc poema accipit XLIX. 7. Adversus. nec minus Vltius, qui Gratii. Initium vero Halienticon, quod a Sestorio Quadrimano, tanquam a vetustissimo codice descriptum, accepit Hieron. Columna, et in doctissimis commentariis ad Ennii fragmenta pag. 247. seq. edidit, merus est fuons.

XI. *De medicamine faciei* fragmentum elegiaco carminis genere, quod citra causam Nasonis non esse videtur doctis quibusdam viris. Memorat Ovidius ipse artis amatoriae III. 905.

Est mihi, quod dixi vestrae medicamina formæ,  
Parvus, sed cura grande libellus opus.

XII. *Nus* Elegia utrum Ovidii sit necne, dubitant quidam eruditum. Non tamen est, cujus Ovidium merito pudere possit. Hoc poema post Dominicum Marium Nigrum illustravit Erasmus, Basilæ 1524. et apud Gryph. 1546. 8. et Tom. I. Opp. In Nuce Ovidianam Erasmi præfatio legitur inter ejus Epist. XXIX. 36. qui poemation illud Joanni Mero, Thomæ filio, dicavit. Observationes Herculis Ciofani prædierunt Sulmone 1593. 4.

#### DEPERDITA:

*Deperdita* Ovidii scripta diligenter enumerat Gyraldus. In his sex libros postremos Pastorum, de quibus supra, et *Mediam Tragædiam* Quintiliano x. 1. et dialogo de Oratoribus cap. 12. laudatam. Ovidius ipse Trist. II. 553.

Et dedimus Tragicis scriptum regale cothurnis;

Quæque gravis debet verba cothurnus habet.

Versum hunc ex illa affert Quintilianus VIII. 5. 'Servare potui; perdere an possim rogas?' quod Petrus Burmannus observat expressum ex hoc Virgilii in Ciri vers. 275. 'Ut me, si servare potes, ne perdere malis.'

Seneca: *Puter Suasoria tertia*: 'Hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse: itaque fecisse quod in multis aliis versibus Virgilii fecerat, non surripienti causa, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci. Esse autem in tragedia ejus: Feror hac illuc, ut plena Deo.' Quoniam diserte Seneca, iterumque affirmat, 'plena Deo' dictam esse imitatione Virgilii, non occurrat alius Maronis locus, qui hoc faciat, quam tritus ille in Eclogia, 'Jovis omnia plena,' quorum verborum non alia est sententia, quam haec, totus Deo plenus sum, illi mea carmina curae. Ex his ipsis porro Fabii et Senecae locis patet, aliam longe esse *Medeam Ovidii*, de qua Tertullianus, carmine scriptam heroico, et ex meris Virgilianis versibus contextam, quam habuit Pirchbakerus et Salmasius, a quo acceptum initium illius edidit P. Serrivius in fragmentis Tragicorum; aliam vero *Medeam Ovidii*, versu scriptam iambico, et uno vel altero fortasse loco ad Virgilii dicta alludentem, pridemque perditam. De eadem Ovidii *Medea Auster* de causis corruptae eloquentiae cap. 12. 'Nec ullas Asinii aut Messae liber tam illustris est, quam Medea Ovidii, aut Varii Thyestes.' Aliorum, quos scripserat Ovidius, hic est index: *Declamationes, Controversiae, et Suasoriae*; quibus valuisse Nasonem testatur Seneca *Controvers.* 10. discipulum rhetoris Arellii Fuscii, et Porcii Latronis admiratorem. *Metaphrasis Phaenomenon Arati*; Laetant. 11. 5. et Probus in Georgica Virgilii. *Epigrammata*, de quibus vide Pollitium cap. 59. Misc. et fragmenta Ovidii a Nic. Holmsio collecta. *Liber in malos Poetas*. Quintilianus VI. 3. 'Adjuvant urbanitatem et verus commode positi, seu toti, ut sunt, quod adeo facile est, ut Ovidius ex tetrasticho Maeri carmine (i. e. poemate tetrastichis constante) librum in malos poetas composuerit.' *Triumphus Caesaris Tiberii de Illyria*, III. 4. e Ponto. *Carmen de laudibus Augusti jam defuncti*, sermone Gotico, Ovidius ipse RV. 13. e Ponto. *De bello Asiatico ad Tiberium* libri II. *Vaticiniumum liber*.

## SUPPOSITA Ovidio.

1. *Consolatio ad Liviam Augustam* de morte Drusi Neronis, quae sub Ovidii nomine praedit Venet. 1472. fol. cum Praef. Virgiliocentonibus, atque Ovidio in variis Codd. Mssis tribuitur, Pedonis Albinovani est, ut dictum supra c. 12. Pedonem hunc aequalem suum Ovidius 'sidereum' vocare non dubitat IV. 6. e

Ponto. Consolationem hanc Ovidio præter rem etiam ascripsit Passeratius, et Barthius LIII. 13. Adversar.

II. *Carmen Panegyricum ad Calpurnium Pisonem*, quod Lucretius ab aliis tribuitur. Vide, si placet, quæ diota sunt in Catal. Virgil.

III. *Elegia de Philomela*, sive de vocibus avium ac quadrupedum, et verbis, quibus illæ apud Latinos denotantur. Non Ovidii, sed Grammatici utcunque veteris Christiani esse videtur Vossio lib. I. de vitis sermonis c. 14. et III. de Idololatria c. 49. Confer A. Schotti observationes Poëticas cap. 52. Sub *Albii Ovidii Juventini* nomine edidit Goldastus, subjecta Julii Sperati elegia de Philomela. De eodem argumento diatribam se scripsisse, testatus est Is. Casaubonus ad Antonium Getam Aëlii Spartiani, qua opes Græcæ in hujus generis vocabulis cum paupertate sermonis Latini non segniter ait se comparasse. Hæc Casauboni diatriba nunquam lucem vidit, quod sciam: sicut intercidit Theophrasti liber περὶ ἐρεπιδόνας τῶν ὁμογενῶν ζῴων, memoratus Laërtio v. Sect. 43. et Athenæo IX. pag. 390. ubi ex eo refert, perdicem aliis in locis κακαβίζειν, in aliis ταννύβιζεν. Interim de vocibus animalium, et de verbis, quibus illæ apud Græcos Latinosque appellantur, consuli possunt Joach. Camerarius in commentariis utriusque linguae pag. 198. seq. Jo. Textoris Officina pag. 280. seq. Andr. Schottus, II. 51. Observatt. Human. Julius Cæsar Bulergerus de venatione Circi cap. 20. pag. 76. seq. Samuel Bochartus in limine Hierozoici, et Frid. Hofmannus in Epigrammatis pag. 158. seq. Græca quædam de vocibus animalium vocabula habes apud Cæsarium qu. LXXVIII. pag. 218. Latina apud Ausonium Epigr. LXXVI. Sed de vocabulis, quibus Græci et Latini<sup>1</sup> voces avium et aliorum animalium exprimunt, præter ante laudatos, et Apuleium in Floridis, Vincentium Bellovacensem XXII. 6: Speculi naturalis ex libro Papie; Jac. Pontanum VIII. 2. φλοκαλίας pag. 164. seq. Christophorum Bermanum in originibus Latine linguae, vocabulo *Marmar*; Gualterum Charletonum de differentiis et nominibus animalium (Oxon. 1677. fol.) illa parte qua pisces persequitur pag. 94-102. et Guilelmum Musgrave in notis ad vitam Imp. Getæ a Spartiano scrip-

## NOTÆ

<sup>1</sup> Chaldaica vide in Targum secundo libri Esther c. 1. 2.

tum, operæ pretium est conferre, quæ ex *Adversariis* Is. Casauboni edidit Jo. Christoph. Wolfius in *Cassabonianiis* Hamburgi a. 1710. 8. editis pag. 56. seq.

IV. *De Pulce* Elegia, sub Ofilii Sergiani nomine a Goldasto vulgata, Ovidio certe indigna. Gallica metaphrasis Pulicis Ovidiani extat in libello parum serio et parum pudico, qui Amst. 1720. 12. prodiit sub titulo *les Tetons*, pag. 50. auctorque sit, se natum fuisse sedecim annos, cum illam componeret.

V. *Somnium*, quod incipit: 'Nox erat et somnus,' &c. in Goldasti editione *Ovidii junioris somnus* inscribitur. Hoc Somnium cum Philomela et Pulice, quæ in Heinsiana et Caippingiana editione Ovidii frustra quæres, extat ad calcem Heroidum et Amorum ex postrema Jac. Micylli recognitione, Francof. 1582. 8. excusa etiam Venet. 1515. 8. cum Ovidii vita ab Aldo scripta, et Paris. 1536. 8. et apud Gryph. 1554. 8.

VI. *Epigrammata scholastica de Virgilio* XII. *libris Bucidos*, sive argumenta librorum Virgilianorum, etsi Ovidio in quibusdam manu exaratis codicibus ascripta, etiam in codice eximio et pervetusto membranaceo Virgilii cum Servii commentariis, quem laudavimus, Morgenvegiano, in cujus calce leguntur simili vetusta manu descripti Ovidii libri de Ponto, communi suffragio virorum doctorum existimantur alterius esse auctoris.

VII. Nihil vero magis ridiculum sit, quam *libros tres de Vetula*<sup>1</sup> genuinis Ovidii scriptis annumerare, qui hexametris versibus descripti cum præfatione Leonis (Protonotarii sacri Palatii Byzantini sub Vatachio Principe) prodire Coloniae 1470. Lubecæ 1471. et inter Catalecta Ovidii editore Goldasto, Francof. 1608. 8. denique recensiti e Mss. una cum Nigelli Wikeri<sup>2</sup> Angli Brunello, sive Speculo stultorum, editi auspiciis Ducis Augusti Guelferbyti 1662. 8. Hoc ludicrum opusculum, ab infimi ævi Monacho (Pamphilo forte Mauriliano<sup>3</sup>) profectum, non evolverat Manutius, qui tanquam tria diversa memorat *de vetula, de quatuor humoribus, et de ludo latruncularum*, cum de his universis agat hoc

## NOTÆ

<sup>1</sup> Beda in Boëthium de Trinitate: qua inter alia observat, eum claruisse circa a. C. 1200.  
<sup>2</sup> Exstirpanda est hæresis vetularum, quæ jurant per partes Dei.  
<sup>3</sup> Vide Barthium ad Gull. Britonem p. 62. et 849.

<sup>2</sup> De hoc Nigello extat erudita dissertatio Jac. Thomasi Lips. 1679.

scriptam. Versus aliquam multos ex libro III. producit Them. Bradwardinus in causa Dei adversus Pelagium pag. 33. Rogerus quoque Baco, magnus Astrologiæ patronus, nullius fere libentius scriptoris testimoniis utitur, notante Joanne Pico lib. I. in Astrologos pag. 284. Opp. Vide etiam Roberti Holkot lect. XXI. in lib. Sapientiæ, et Joannis Frid. Mayeri Exerc. utrum fata religionum pendeant ab astris, Diss. I. §. 5. De hoc opere copiosius disserere voluit magnus Seldenus lib. III. de Synedriis c. 16. sed morte præventus imperfectum illud opus coactus est relinquere. Librorum de vetula auctorem esse fortasse ipsum illum Leonem Protonotarium, qui præfationem præmisit, suspicatur Polycarpus Lyserus in historia poëtarum mediæ ævi pag. 2089. ubi porro multis post Ovidium sæculis libros illos Ovidio esse suppositos ex hisce docet flosculis. Scilicet Lib. I. n. XXX. v. 3. edit. Goldasti pag. 127. legitur vocabulum 'treuga,' pro armistitio, quod ævi est recentioris. Lib. I. n. XXXVII. edit. cit. pag. 133. l. ult. vox 'Alkimia,' quæ itidem serius ab Arabibus ad Latinos venit. Idem dicendum de 'Algebra' et 'Almucgrabala,' quæ occurrunt n. XLI. v. 5. pag. 135. 'Algebraque' iterum Lib. III. n. II. v. 5. pag. 163. 'Cognoscere amicam' Lib. II. n. I. v. 5. et 7. pag. 139. est hebraismus, ex lectione S. Codicis haustus. 'Pastorum' et 'Prælatorum' meminit Lib. II. n. XIV. v. 3. et 8. pag. 143. quæ voces Ecclesiasticæ sunt. 'Camisia' item, quæ affertur Lib. II. n. XXIV. pag. 150. l. 1. non est ævi Ovidiani. 'Sibi' loco 'ipsi' nonnunquam usurpat auctor Lib. II. n. XXXIII. v. 5. pag. 155. n. XXXVI. v. penult. pag. 157. 'Dei unitatem' ubi stabilit auctor Lib. III. n. IV. pag. 164. et 165. vocabula 'principium' et 'principiatum' adhibet, et Manichæorum sententiæ, de duobus principiis mundi sibi contrariis et cœternis, meminit. Vocabulo 'glorificare' nonnunquam utitur, quod est ex Ecclesiastico. 'Christianum,' ut Lib. III. n. v. v. ult. pag. 166. Mundum ex nihilo 'creatum' esse probat Lib. III. n. VI. pag. 166. n. XVIII. pag. 273. 'Resurrectionem mortuorum' credit futuram Lib. III. n. XX. pag. 175. Locum de incommodis senectutis ex Ecclesiastico profert Lib. III. n. XXIII. pag. 176. De religione Christiana multa habet Lib. III. n. XXXII. seqq. ubi vaticinatus talia inducitur Ovidius, et ex foliis Sibyllæ hæc hausisse v. Lib. III. n. XLI. v. antep. pag. 186. de quibus tamen constat, ea ignorata prorsus fuisse ante Commodi Imperatoris tempora. Trinitatem admittit

his loquendi formulis, quibus ne Christiani quidem primis sæculis utebantur, Lib. III. n. XLII. XLIII. Mariam mediatricem appellat Lib. III. n. XLV. v. pen. pag. 188. eamque in coelos sumtam esse docet n. XLV. Hæc loco laudato Lyserus: qui pag. 2071-2076. etiam veterem editionem Pamphili confert cum editione Goldastina, ejusque varias et plerasque meliores lectiones annotat, atque integra, quæ Goldastus omisit, supplet disticha.

*Catalecta Ovidii*, et alia quædam nomine suo suppresso junctim vulgavit, auctoribusque suis Mstorum ope magnam partem restituit Goldastus, Francof. 1610. 8. In eo volumine occurrunt: Epigrammata scholastica de Virgilii XII. libris Æneidos. Epistola Ovidiana Penelopes ad Ulixem, Græce reddita a Carolo Utenhövio. *Ovidii junioris somnus*. Cornelii Maximiani Galli amores sive sex elegiarum libellus, de quibus dixi capite superiore. In exemplo hujus editionis, quod extat Hamburgi in Bibl. Joannea, variæ lectiones e Msto Codice adjunctæ sunt manu Frid. Lindebrogii, quibus non pauca emendantur et supplentur. Ofilii Sergiani Elegia de pulice. Albii Ovidii Juventini elegia de Philomela. Julii Sperati, elegia ejusdem argumenti. Pamphili Mauriliani Pamphilus, sive de arte amandi Elegiæ LXIII. De Vetula libri III. cum præf. Leonis Protonotarii. Bedæ Venerabilis elegiæ II. de Cuculo. Benigni Floriacensis elegia de excidio Trojæ. Bernardini Cilæni Veronensis, qui Friderici III. Imp. temporibus vixit, Amores, h. e. libellus elegiarum sive Odarum XXII. ad Juliam, editus antea sub falso nomine Francisci Octavii. Antonii Codri Urcei Bononiensis Rhythmus die S. Martini pronuntiatus. Denique claudit hanc collectionem Goldastinam elegia Baptistæ Mantuani Carmelitis contra Poëtas impudice loquentes. Christianus Daumius in Epistola ad Joach. Fellerum: <sup>2</sup> 'Vetulam Pseudo-Ovidii, Pamphilum, et alia opuscula, Goldastus se primum ex membranis edere ratus est: at ego habui editiones recenter inventa typographia ratas, membranis illis longe meliores et locupletiores. Ideo cum Vossius et alii exinde, quæ in rem suam esse vident, al-

## NOTE

<sup>1</sup> Hujus Mauriliani meminit Guermundus commentario in artem Prisciani. Ejus vero elegias et libros de Vetula, quos ipsos quoque a Mauriliano scriptos Barthius conjiciebat,

cum Msto contulit in eodem Codice Lindebrogius.

<sup>2</sup> Jo. Frid. Felleri monumenta varia inedita, trimestri XI. p. 611.



legent, cur non et horum rationem habeamus? Iis quæ Goldastus omisit, Aldus autem in Ovidii vita meminit, a claustralibus mopsis Ovidio stupide attributa, adjungo olim a me collecta carmina de ventre, de tribus puellis,' &c. Est mihi hæc scribenti in manibus editio vetus sine loci et anni nota in 4. ubi Pamphilo præmittitur Pseudo-Ovidii *liber trium puellarum*, sive elegia de tribus puellis cantu inter se certantibus iudice poëta, qui tertiam, Jovis amores carentem, ceteris duabus præfert, sibique adjungit: et *liber de nuntio sagaci*, versibus hexametris homœoteleutis sive leoninis, et *de pulice*. Elegiæ de tribus puellis hoc est initium:

Ibam forte viam quandam nullo comitante;

Solus amor mecum, qui solet esse, fuit.

Dumque meos versus facio, meditorque puellam,

Cui possim versus mittere quos facio;

Ecce procul video quasi tres nymphas venientes:

E quibus, ut memini, longior una fuit.

Hæc medium sortita locum, currebat; et omnes

Currebant pariter, sed tamen illa magis.

Sed si forte manu jaculum sumsisset et arcum,

Illa mihi certe visa Diana fuit.

Sic etenim solet illa feras agitare per altas

Sylvas, cumque suis currere virginibus.

Tunc ego nosse volens formas et nomen earum

Incepi subito currere post solio, &c.

*Liber de nuntio sagaci*, in quo colloquium est puellæ cum nuntio, qui dona a poëta ipsi affert, ita orditur:

Summi victoris fierem cum victor amoris

Sperabam curis finem posuisse futuris,

Rursus ad arma vocat me, quærit et ecce Cupido,

Dic, amor, unde venis pharetris sic undique plenis?

Cujus castra petis, vel cujus vulnera tendis?

Hinc procul hinc absis, quia mecum nulla videbis,

Tot tibi sunt Parides, et tot tibi sunt Ganymedes, &c.

Bedæ venerabilis (an Milonis potius, Monachi Elnouensis a. 870. defuncti) elegia una de conflictu veris et hyemis, atque altera<sup>1</sup> de morte cuculi. Benigni Floriacensis elegia de excidio Trojæ, Bernardini Cilæni, &c.

#### NOTE

<sup>1</sup> Incipit: 'Plangamus cuculum, edidit Mabillonius Tom. i. Analect. Daphnis dulcissime, nostrum;' eadem, quam sub vero Alcuini nomine

# RECENSUS EDITIONUM

## P. OVIDII NASONIS

AUCTIOR FABRICIANO ET IN QUATUOR ÆTATES DIGESTUS.<sup>1</sup>

---

### ÆTAS I. NATALIS

1471—1502.

